

Christoph Franck    Johann Ernst Pfuel


**Disputatio Theologica Inauguralis De Confessione Christi, super Dicto Matth. X,  
32. 33.**

Kiloni[i]: Reumann, [1680]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78652314X>

Druck    Freier  Zugang





52 b. 6.

Pr. a- 2 380 p

A- 58

A- 12

Pr. 119 p

A- 28

a- 8

110 p

20 p

A- 82

167 p 7nd

19 p

92 p

Pr. 32 p

A- 8

A- 42

A- 7

34 p

A- 5

56 p

A- 2

A- 3

A- C


A- C


A- B

82

313

Fa-1092 (82.)





DISPUTATIO THEOLOGICA  
INAUGURALIS  
De  
**CONFESIONE  
CHRISTI,**

super  
*Dicto Matth. X, 32. 33.*

*Quam,*  
Divina favente Gratia,

Indultu Amplissimæ Facultatis Theologicæ

In Illustri

**CHRISTIAN-ALBERTINA ACADEMIA,**

PRÆSIDE

*Maximè Reverendo, Nobilissimo, Amplissimoq,*

**DN. CHRISTOPHORO FRANCKIO,**

S. Theol. D. & Prof. Ordinario p. r. Fac. suæ

Spectabili DECANO,

*pro consequendis*

*Summis in Theologia & Doctoralibus Honoribus,*

Publico ac solenni Eruditorum

examine submittit

**JOANNES ERNESTUS PŒUEL /**

Berlinensis Marchicus, antehac Pœf. & Eloq. Prof. Ord. in Acad.

Greifsvvald. & Facult. Theol. Assessor, nunc verò Pædagogii

Stetinenfis Rector & Prof. Ord. Primarius,

*ad D. XVII. Augusti, A. M. DC. LXXX.*

In Auditorio Theologorum, Horis ante- & pomeridianis,

---

KilonI, Imprimebat Joachimus Reumann, Acad. Typogr.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
INAUGURALIS

*Reverendissimo Serenissimoq; Principi  
ac Domino,*

DOMINO  
CHRISTIANO  
ALBERTO,

Heredi Norwegiæ, postulato Coadjutori  
Episcopatus Lubecensis, Duci Schleswici, Hol-  
satiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comiti in Oldenburg  
& Delmenhorst &c. &c.

*Domino suo Clementissimo,*  
Habitam in Academia Ejus Disputatio-  
nem hanc Inauguralem,

Subjectissimi cultus & gratitudinis causa

*Devotissime dicat ac offert*

EJUS SERENITATIS

fervus humillimus

J. E. Pfuel.



I. N. J.

# DE CONFESSIONE CHRISTI.

*Matth. X, 32. & 33.*

Πᾶς ἔν, ὅσις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν  
τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω καὶ ἐν αὐτῷ ἔμ-  
προσθεν τῆ πατρὸς μου, τῆ ἐν ἐρανοῖς &c.

PRÆFATIO.

**D**ulcissimus Salvator noster, ablegans duodecim suos  
Apostolos, ipso hoc cap. X. Matthæi, partim de Of-  
ficii muniis, sive essentialibus, *v. s. ad 8.* sive acciden-  
talibus, *v. 8. ad 15.* eos instruit: partim pari fide obstacula  
feu pericula edocet, *vers. seqq.* miscens crebrè consilia &  
solatia, ut ne terreat nimis, ac planè percellat: tandem  
præceptis quibusdam imbuat ac firmat; quorum primum pò-  
tissimumque illud de Confessione, *v. 32. 33.* quod deinceps a-  
lia de patientia, *v. 34. 35. 36.* amoris gradibus, *v. 37.* cruce, *v.*  
*38. 39.* atq; Christianis officiis à *v. 40. ad fin.* consequuntur. Nos  
primum in præsentì elegimus, cui tantum D. Paulus attri-  
buit *Rom. X. 9. 10.* ut salutem nostram cum illa connectat.  
Ipse autem, Legatus & Pontifex Confessionis nostræ, Jesus  
A 2 Christi

13.

14.



14

Christus, *Ebr. III. 1.* faciat nos confiteri bonam confessionem coram multis testibus, *1. Tim. VI. 12.* sicut ipse, tanquam fidus ille testis, *Apoc. I. 5.* testatus est bonam Confessionem sub Pontio Pilato, *1. Tim. IV. 13.* & olim in extremo iudicio magnus Confessor noster, futurus est coram patre caelesti, benedictus in saecula, Amen.

## SECT. I.

### De Confessione CHRISTI, quâ no Christum confitemur.

#### CAPUT I.

#### De explicatione vocis, & Confessione in genere.

##### §. I.

**V**erbum confitendi, cum casu personæ (accusat. putata) conjunctum, apud idoneos scriptores reperiri, etsi Beza annot. ad h. l. in dubium vocet: nos tamen eam constructionem, Patribus Ecclesiæ familiarem, & à latinissimo Erasmo retentam, minimè fastidimus.

§. II. Agnoscendi Vocabulum, quod h. l. & Lucæ XI. 8. Beza substituit, in se consideratum, ambiguum est; & propriè sumptum, pro actu intellectus, à Confessione, ut antecedens à consequente non absolute necessario, & ob id separabili differt: quod exemplo Petri Christum abnegantis liquet, *Matth XXVI. 70. seqq.* Quanquam id agnoscere con-

conjunctum cum verbis, *Coram hominibus*, ad confitendi si-  
gnificationem restringitur.

§. III. Ad rem ipsam ut accedamus, Confessio quæ-  
dam *Civilis*, alia *Sacra est*. Inter Sacras eminent Confessio  
*Peccati*, & confessio *Fidei*.

§. IV. Confessio *peccati privata* alia est, alia *publica*,  
iusta olim Canonica. Privata, ubi quisque seorsum vel  
Deo, *Psalm. XXXII. s. LI. 6.* vel proximo, *Jac. V. 16.* vel  
sacerdoti peccata confitetur. Ubi enumerationem omnium  
& singulorum peccatorum necessariam & divinæ institutio-  
nis esse, incausum clamitant Pontificii.

§. V. Publica est nonnunquam *spontanea*, ubi tota  
Ecclesia cum Ninevitis *Jon. III. s. seqq.* vel nomine totius  
populi Esra aliquis, *Esr. IX. 6.* cont. *Nehem. IX.* commissio-  
rum veniam petit. Quemadmodum in Ecclesiis nostris Con-  
cioni subjungitur Confessio publica à Sacerdote, & quibus-  
dam in locis Absolutio quoque, pro universo verè pœnitent-  
tiam cætu, statim subjicitur.

§. VI. Alia publica confessio *pœnalis* est, quæ inter  
partes pœnitentiæ publicæ numeratur: ubi scandali publici  
reus propterea dolet, & veniam publicam expetit.

§. VII. Enimverò Veteres pœnitentiæ publicæ tres  
partes statuere: *contritionem Cordis*, *confessionem oris*, & *sa-*  
*tisfactionem operis*.

§. VIII. Confessio illa oris, ut & satisfactio operis,  
Ecclesiæ fiebat scandalo offensæ; proque gravitate delicti  
nunc major exigebatur, nunc minor. *Προσκλαυσις*, *αἰτιολογία*,  
*ὑπόπλιωσις*, *ὄσκησις* erant pœnitentium ordines: quos præter,  
pro criminis ratione, etiam tempus pœnitentiæ longum vel  
breve (in genere legitimum vocant) constitutum. Quod si  
A 3 remit-

remitteretur, dicebantur *indulgentia*; sensu à Papisticis Indulgentiis longè diversissimo.

§. IX. Illam disciplinam Ecclesiasticam everfam à Felicissimo presbytero, querebatur olim Cyprianus, *Epist. XL. & LV. secundum Pamel.* Hodie vix quidquam ejus superesse nec ultra verba valere, realibus illis poenitentia partibus, quas Petavius vocat, planè cessantibus, Theologi passim seriò dolent.

§. X. Sed hæc confessio *peccati*: illa verò, de quâ in nostro loco Christus, *fidei* est. *Quisquis*, inquit Salvator, *me confitebitur.*

## CAP. II.

### De Confessione, quâ nos Christum confitemur, in specie, eiusque causis.

§. I. Confessio Christi est fidei salvificæ internæ de Christo Servatore, per signa externa, præcipuè sermonem, pro officii ratione facta, aperta, prudens & constans declaratio, directâ ad gloriam Dei, aliorumq; salutarem informationem & confirmationem.

§. II. Causa efficiens hujus confessionis sunt ii, qui CHRISTUM confiteri dicuntur: & quidem præcipuo quodam modo Apostoli, (ad quos h. l. dirigitur sermo) eorumq; successores, nempe per publicam verbi prædicationem, quæ veluti *κατ' ἐξοχήν* Christi Confessio est: *Confer I. Iob. IV. 2. 3.* Sed in cõmuni est quilibet homo renatus, & per verbum conversus. Horum enim omnium est Christum confiteri, etsi non per publicam verbi prædicationem. *Quisquis confessus fue-*

7  
fuerit, *Jesum esse Filium DEI; Deus in eo habitat, & ipse in Deo*, ait S. Johannes 1. Ep. IV. 15. & S. Paulus Rom. X. 9. 10. *Si confessus fueris ore tuo Dominum, Jesum, & credideris in corde Tuo, quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis. Nam corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

§. III. Quamvis verò quilibet Christum ita confessus, rectè confessor inde denominetur: strictiore tamen vocis significatione olim, & potissimùm ætate Cypriani, dicti ferè sunt *Confessores* usu Ecclesiastico, qui coram Magistratu Christum confessi, non passi erant tormenta; sive deinceps paterentur, seu minus. Et in eo à *Martyribus* distingui solebant, quod hi pro confessione CHRISTI vel mortem, (quæ consummata Martyrii gloria censebatur) vel saltem tormenta pertulissent. Vide Cyprianum *Epist. IX.* & commentantem in eam Pamelium. Adde & *Epist. LXXXIII.* ubi distinguit inter *confiteri* & *profiteri*: quorum hoc sit, apprehensum à Magistratu & interrogatum confiteri; illud, confiteri ultrò coram eo, nec vocatum.

§. IV. Aliàs *Profitentium* nomen olim datum legimus certo catechumenorum ordini, qui, ubi de articulis fidei jam satis erant instructi, profitentes se renunciare diabolo, baptismum petebant: unde & *petitorum* ac *petentium* cognomen acceperant. De his Augustinus l. II. de *symbolo ad catechumenis*: *Hoc audiistis, hoc & vos professi estis, renunciare vos Diaboli pompis & Angelis eius. Videte dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelicam: nomina profitentium excipiuntur in libro vitæ, non à quolibet homine, sed à superiori cælitus potestate.*

§. V. Cæterum ut ad institutum redeamus, non ex vi-  
ri-

ribus naturalibus homo renatus edit hunc confessionis Christi actum; sed in virtute gratiæ, & auxilio Spiritus sancti. Hinc Paulus Ephesiorum pro se preces ad DEUM deposcit, ut sibi *detur sermo in apertione oris sui cum loquendi libertate, ut notum faciat mysterium Evangelii, cujus causa legatione fungebatur catenatus, quò de eo liberè loquatur, ut oportebat ipsum loqui, Eph. VI. 19. 20.*

§. IV. Objectum hujus confessionis proximum est fides salvifica interna doctrinæ de Christo servatore, seu de merito & satisfactione Christi: *remotum* est modò dicta doctrina de Christo: (quò etiam referendæ reliquæ doctrinæ Christianæ partes, quæ cum merito & satisfactione Christi necessariam connexionem habent, ita, ut hæc sine illis salutari assensu & fiducia apprehendi nequeant) *ultimum*, in quod Confessio, mediante fide & doctrina de Christo ultimò tendit, est ipse Christus Servator, ultimum fidei nostræ & confessionis fundamentum, seu pretiosissimum ejus meritum & satisfactio.

§. VII. Fidem internam de Christo servatore, quæ per confessionem declaratur, cum salvificam nominamus; non generalem duntaxat assensum intelligimus, qui & in hypocritas cadit: verùm etiam specialem, qua credens Christi meritum & satisfactionem sibi applicat, tanquam suâ quoque causâ præstitam, ut & ortam hinc in voluntate fiduciam, in eodem Christi merito defixam, de salute æternâ per illud obtinenda.

§. VIII. Porro Confessio importat respectum ad eos, coram quibus editur. Non enim nobismet ipsis per externa signa declaramus fidem nostram, sed aliis. Hic respectus in dicto nostro exprimitur verbis generalibus, *coram hominibus.*

9  
bui. Quisquis, inquit Servator, confitebitur me coram hominibus. Nempe coram quibusvis hominibus confitendus est Christus, quando justa confitendi causa adest; & gloria Dei, ac salus proximi confessionem à nobis exigit. Huc nos Petrus vocat, 1. Ep. III. 15: *Estote semper parati ad respondendum poscenti vos rationem ejus, quæ in vobis est, spei.*

§. IX. Benè Chrysoftomus Homil. XXV. in Matth. h. l. *Ne dicant Christiani, si necessitas persecutionis advenerit, coram hominibus ore denegabo, in corde autem veritatem tenebo. Ideò non dicit Christus, qui me confessus fueris in corde; sed coram hominibus. Qui enim coram hominibus non confitetur, non prodest, quòd corde in Christum credit: quia qui ore denegat, non potest fieri, ut in corde credat. Radix confessionis: fides est cordis: confessio autem fructus fidei.*

§. X. Multi in eo, maximè tempore X. persecutionum lapsi, qui vel negârunt Christum, vel saltem non confessi sunt, cùm oportuisset confiteri.

§. XI. Illi fidem amiserunt cum Petro: cujus abnegatione non una & simplici, sed ternâ, & jurata, atq; execrationem habente, cum Maldonato Commentario in Matth. XXVI. 75. & Luc. XXII. 32. Cornelio à Lapide ad Matth. XXVI. 70. & Luc. loc. cit. aliisque, fidem non excussam statuere, est veterum Helcesaitarum dogma fovere, qui corde credi, & tamen salvâ fide Christum negari posse asseruerunt, apud Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. XXXVIII.

§. XII. Hi, si ex infirmitate peccârunt, occulti manserunt discipuli Christi & fideles, ut Nicodemus & Josephus Arimathæensis. Conf. Joh. XII. 42. Nam incrementa sua habet & decrementa fides, indeq; major minorve confitendi libertas; ut hîc valeat illud Luca XVII. 5: *Domine, adde nobis fidem.*

B

§. XIII.

§. XIII. Finis confessionis Christi *ex parte Dei*, est gloria ejus; *ex parte proximi*, ejus informatio vel confirmatio in fide. Est quoque *ex parte nostri* finis aliquis nostræ Confessionis, & terminus, ad quem eâ pervenitur, nempe salus æterna, de qua *Rom. X. 9. 10.* Quorsum & confessio Christi, qua nos vicissim se confessurum h.l. spondet, respicit. Cave verò, salutem æternam effectum confessionis, hancque illius causam putes. Neque enim alia vitæ æternæ causa est ex parte nostri, quàm fides: idque non vi & dignitate propria, sed vi & dignitate meriti Christi. Confer quæ dicentur infra *sect. II. §. 3.*

### CAP. III.

## De qualitatibus Confessionis CHRISTI.

§. I. Causas Confessionis sequuntur qualitates. Quarum prima est, ut sit *aperta*. Enim vero ad omnem confessionem, ubi quis ad dicendam veritatem obligatus est, requiritur, ut sensa mentis ita expromantur, vel declarentur, ut ab aliis queant intelligi.

§. II. Quamobrem in confitendo i. abstinendum est ab *equivocationibus*, i. e. verborum, phrasium & constructionum ambiguitatibus, ad fallendum alios excogitatis. Notæ sunt Arianorum æquivocationes, sub quibus hæreticam tegebant sententiam, loquentes interim linguâ orthodoxorum. De his Hilarius c. Auxentium: *Tribuunt Christo DEI nomen, quia hoc hominibus sit tributum. Fatentur DEI verè filium, quia sacramento baptismi verè DEI filius unusquisque perficitur.*

*perficitur* Ante tempora & secula confitentur: quod de Angelis atq; Diabolo non est negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quae sunt vel Angelorum propria, vel nostra. Caeterum quod de DEO Christo legitimum & verum est, Christus DEUS verus, id est, eadem esse filii, qua patris divinitas, denegatur.

§. III. Similiter 2. abesse à confessione debent restrictiones sive reservationes mentales, quando quis, ad occultandam veritatem coram eo, cui promere tenetur, restrictionem vel limitationem aliquam corde premens, nec signo externo declarans, falsum profitetur; atque ita alterum, si fidem habeat, in errorem inducit. De Ario fertur, quòd cùm Nicenæ Fidei decretis coram Constantino Imperatore subscripsisset; mox ad juramentum adactus jurârit, se ex animo ita sentire, ut scripserat, mente intenta in chartam sub ala occultatam, in qua hæresin suam consignârat. Atque hoc ita gestum fuisse, fama & auditione se accepisse testatur Socrates lib. I. Hist. Eccles. cap. XXXVIII. Venit hic in mentem triti illius veterum Priscillianistarum: *jura, perjura, secretum prodere noli.*

§. IV. Hujusmodi reservationes mentales Jesuitis imprimis in omni negotio receptæ sunt, & communiter etiam æquivocationum nomine ipsis veniunt: nos verò accuratoris doctrinæ causa distinximus. Exempla passim in eorum scriptis obvia. Ut si quis interrogatus de re quapiam, respondeat: *nescio*, servata in mente restrictione, *ut tibi dicam*. Vel si quis quæsitus, num Petrum occiderit? respondeat: *Non occidi Petrum*, retenta in animo limitatione, *in carcere*. Voetius part. IV. select. Disput. pag. 650. è Roberti Aboti Antilogia profert exemplum Joannis Comai Sacerdotis, qui responsio-

B 2

nem



nem & confessionem suam ad certas quæstiones scripto complecti iussus, hanc præmisit jurisjurandi formulam: *Quid quid nunc affirmo, ex fide hominis Christiani, absq; omni equivocatione, vel mentali reservatione, vel secreta interpretatione mihi servatâ, & affirmo secundum planam sententiam verborum à me dictorum: ita me DEUS adjuvet per Jesum Christum.* Cùmque ita juratus negâisset, se vocatum aut in Anglia, aut ultra mare Scammelum, se accepisse ordines Sacerdotii, vota iniisse secundum regulas Soc. Jesu &c. postea tamen liberè affirmavit, se familiari nomine vocatum Scammelum, seque esse Sacerdotem &c. Ita scilicet homo impiissimus ne quidem sine restrictionibus mentalibus juravit, dum se non usurum restrictionibus juravit.

§. V. Papa nunc sedens, innocentius XI. in excommunicatione dogmatum Moralistarum è Soc. Jesu, superiori anno in sacrâ congregatione decretâ, inter alias propositiones has quoque quatuor de reservationibus mentalibus n. 25. 26. 27. & 28. damnavit: num. 25. *cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* 26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunq; alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibologis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* (legendum fortè fructuosa) 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publi-*

publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum. Formula censuræ præfationi inserta, ita habet: *Idem sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit & decrevit, pro nunc sequentes propositiones, & unamquamq. ipsarum, sicuti jacent, ut minimum tanquam scandalosas & in praxi perniciosas esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet.*

§. VI. Sed nec adhibendæ 3. Conditiones, qua confessionem reddant ancipitem, ita ut de mente confitentis, quid tandem sentiat, quid non sentiat, constare nequeat. Quomodo Calvinus certo respectu & modo Augustanæ Confessioni se subscripturum dixit: & Zanchius, quatenus piam agnoscat.

§. VII. Altera Confessionis Christi qualitas est prudentia. Per quam non intelligimus eruditam illam, & multis literis excultam, de qua mirificè gloriabantur gentiles, ac Christianos simplicitatis ac ignorantia, neglectæque latinitatis arguebant: sed intelligimus simplicem quandam prudentiam, quæ etiam in indoctos & plebejos cadat. *Non eam te advoco sapientiam* (ita alicubi Tertullianus) *qua scholis formata, Bibliothecis exercitata, in porticibus & Academiis Atticis partam sapientiam eructas: te simplicem & rudem, & impolitam & idioticam compello.* Apostolos videte, qui ἀγράμματοι erant & ἰδιῶται, Act. IV, 13. & magni tamen οἰκονομοὶ cœlestium mysteriorum, I. Cor. IV. 1.

§. VIII. Ad eam autem, quam diximus, prudentiam requirimus I. ut ejus fidei Christianæ, quam confitetur, distinctam notitiam habeat. Idem in omni confessione necessarium esse, dubio caret. Nihil profectò inscitius fidei im-

plicitè confessionè apud Pontificios, quàm se credere profiterentur, quod Ecclesia credit; etsi quanam sint illa, quæ credit Ecclesia, æquè cum ignarissimis sciant, & fortè ne fando quidem audiverint. Pejor adhuc & detestabilior est illa, quam Gregorius de Valentia in *Annal. de Eccles. p. 205.* in mercatore quodam laudat, quòd ajat, quæ Pontifex ait; neget, quod Pontifex negat; idque si rursus ajat, annuat & ipse. Quod Terentiani potiùs Gnathonis esse ducimus, quàm veri Confessoris, Quò etiam referendum, quod de P. Cotone memorat Gramondus *l. XV. Hist.* Cùm Jesuitæ Parisienses interrogarentur, Santarelli Jesuitæ librum pro Potestate Papæ super omnes seculares principes à Sorbona damnatum, & jussu Parlamenti combustum, anne probarent? nomine eorum respondit Coto: se & ipsos improbare librum; adjiciens post paulo: *Si Romæ essent, mutandum ipsis cum cælo animum, & sensuros ut Romæ.*

§. IX. Ad prudentiam in Confessione Christi adhibendam requirimus 2, ut quis cautus sit in periculis declinandis non-necessariis, nec aliàs quidquam inconsultò agat. Hinc Christus mittens Discipulos suos ut oves in medium luporum, præmonet eos, ut sint *prudentes ut serpentes, & simplices ut columba, Matth. X, 16.*

§. X. Sanè in vitio est confessio tum sponte & ex nulla officii, vel mandati ratione suscepta, quando metuendum est, ne ipsi Religioni per eam periculum confletur. Sic nec tempore persecutionis decet quempiam se temerè offerre discrimini. *Ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro se gentibus offerat: apprehensus enim & traditus loqui debet; siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit,*

*voluit, quàm profiteri, scribit Cyprianus Epist. LXXXIII.*

§. XI. Contra verò dubium non est, quin scientes persecutione fugam aliquando capeffere, atque ex illa flamma periculoque evolare liceat. Speciatim Ecclesiæ Ministro fugere concessum est, ubi in suum præcipuè caput præparari insidias cernit; & ex ipsius absentia omnibus nullum salutis periculum, aut aliud insigne damnum metuitur, obeunte interim vices ejus Ministro alio. Quòd si præterea Ecclesiam magnum in morte sua detrimentum facturam intelligat, tenetur, quantum in se est, ex ista tempestate se eripere, & benignioribus fati, Ecclesiæque se servare. Sic non tantum Apostoli ad Christi præceptum ex *urbe una fugiebant in aliam, Matth. X. 23.* sed & prisca Ecclesiæ Doctores aliquandiu secesserunt. Vid. Cyprian. *Epist. VI. XV. XXXVI.* & Athanas. *in peculiari Apologia Tom. II. operum ejus inserta.*

§. XII. Tertia & ultima Confessionis Christi qualitas *Constantia* est: ut tentationes Satanae nec à dextris, nec à sinistris, i. e. nec læta, nec tristia à Confessione JESU nos avertant. *Nam quis magis negavit Christum? an qui vexatus, num qui delectatus amisit? qui, cum averteret, doluit; an qui, cum amitteret, lusit?* ut scitè in hanc rem Tertullianus. Graviter quoque B. Lutherus noster usu peritus, & his pugnis exercitissimus, *Tom. IV. lat. Jen. fol. 408:* *Est audacia supra audaciam; virtus supra virtutem, fortitudo supra fortitudinem, audere loqui in publico, & confiteri nomen Domini. Hic enim Satan imminet omni genere insidiarum, ut hanc confessionem impediatur. Eas insidias omnes si oculis humanis possibile esset cernere, facile causa pateret, cur & spiritu antea rogavit confirmari propheta, & nunc ab*

*ipso*

ipso Domino labia aperiri optet; non ad orandas horas Canonicas, sed ad portandum nomen Domini coram Diabolo, mundo, regibus, principibus & carne uaiuersa. Hic enim varie occasiones sunt, qua labia premunt. Nonnunquam metus periculi, nonnunquam lucri spes; sepe etiam amicorum consilia interueniunt, quibus hoc sacrificium Satan conatur impedire. Sicut ego quoque sepe expertus sum, & tamen in magnis causis, ubi periclitabatur gloria DEI, DEUS affuit, & aperuit os contra ista obstacula. Hactenus Lutherus.

§. XIII. Nimirum non initium in Christianis, sed finis coronat, *Apoc. II, 10.* & qui ad finem constans, saluus erit, *Matth. X, 22.* Sed hâc laude plurimi ex omni memoria, pro dolor! excidere, & naufragium fidei passi sunt. Cogitemus modo Hosium, Cordubensem in Hispania Episcopum, quemque Augustinus verè *δοκτωρ* & Episcoporum patrem vocat; quàm sub Diocletiano stigmata pertulerit; sed tandem centenario major, victus cruciatibus, Arianæ fidei in Synodo Sirmiensi subscripserit, agnito tamen sub finem vitæ, ut traditur, & deplorato errore.

§. XIV. Agnoscendum igitur habemus inde, non nostrarum id virium esse, ut constantes simus. Qui stat, videat ne cadat, *I. Cor. X, 12.* Et DEUS propterea seriò orandus, ut qui velle dedit, imo qui dedit actu confiteri, porro & perficere donet, *Phil. III, 13.* quique dux fidei & confessionis, sit & perfectior, *Ebr. XII, 2.* quò fidem & confessionem perpetuò seruemus, *Ebr. IV, 14. X, 23.*

CAP.

## CAP. IV.

De Divisione Confessionis CHRISTI,  
ejusque opposito,

§. I. A qualitatibus Confessionis Christi venimus ad ejus divisiones. Et verò confessio alia fit *sermone*, sive ore prolato, sive scripto; alia *gestu*; alia denique *opere* (veluti Sacramentorum usu) sub quo afflictionum quoque, & vel ipsius mortis pro fide Christi permissio (vid. *Joh. XXI. 19.*) continetur.

§. II. Porro Confessio Christi vel publica totius aliqujus Ecclesiæ est, (quorsum & publicæ preces spectant) vel privata singulorum.

§. III. Oppositum confessionis Christi, est ejus abnegatio, de quâ Salvator *v. 33.* hoc loco. Abnegat autem Christum, qui signo aliquo externo, præcipuè sermone, declarat, se non credere doctrinæ de Christo servatore, eo modo, quo supra dictum. Aliàs, ut signum externum triplex est, ita & abnegatio (æquè ac confessio) tribus fit modis: 1. *sermone, sive ore prolato, sive scripto*; 2. *gestu*, ubi quis e.g. incredulorum & abnegantium cœtibus se associat, moribusque illis se gerit similem, curvans genua coram idolis, osculans illa &c. (à quo tamen diversum videtur exemplum Naamanis, II Reg. V. 18.) 3. *opere*. Quomodo abnegationis Christi rei sunt, qui è Christianis in fanis gentili-um intererant conviviis, ubi idolothyta consumebantur in honorem idolorum I. Cor. X. 20. 21: qui Principem vitæ improbissimè & crudelissimè tractarunt, crucique suffixum in-  
C tere.

18  
tēmerunt: vel qui aliās operibus carnis Salvatoris meritum hodieque conculcant, & denuo sibi illum crucifigunt. Sed de his pagellarum angustia non fert pluribus in præsentibus exponere.

## SECTIO II.

### CAP. UNUM.

#### De Confessione CHRISTI, quā nos CHRISTUS confitetur, eique opposita abnegatione.

§. I. Postquam actum hæcenus de Confessione & abnegatione Christi, quā homines Christum confitentur vel abnegant; agendum adhuc paucis de confessione & abnegatione Christi, quibus ille homines rursus confitebitur vel abnegabit, vi verborum *h. l. Matthæi.*

§. II. Consistit autem hæc Confessio Christi in eo, quòd Christus illos, qui fidem salvificam internam de Christo servatore ad finem usque signo externo declararunt, venturus in gloriā Patris, coram ipso & sanctis Angelis declarabit vicissim, veros suos fidosque esse discipulos & confessores. Ex adverso abnegatio Christi in hoc sita est, quòd Christus illos, qui se non credere salutariter doctrinæ de Christo Servatore signo externo declararunt, nisi pœnitentiam egerint, venturus in gloriā Patris, coram ipso & sanctis Angelis declarabit non esse inter suos. Vid. *Marc. VIII. 38. Luc. XII. 8. 9.*

§. III. Atque ut illa confessionem hominum, quā  
Chri-


Christum confitentur, ex mera gr̄atia; ita hæc abnegationem hominum, qua Christum abnegant, ex merito consequetur. Cum illâ porro conjuncta erit æterna beatitudo, tam essentialis, quàm accidentalis, constans præmiis accidentalibus, distribuendis quidem ad modum afflictionum pro Confessione Christi toleratarum, sed nihilominus prorsus gratuiti: Cum hoc connexa erit æterna damnatio, ubi pœnæ pro ratione abnegationis Christi, majores vel minores, ex justitiâ infligentur.

Te verò DOMINE JESU CHRISTE, Mediator & Confessor noster, anxie precamur, rege cor nostrum, ut tibi constanter vera fide adhæreamus, os nostrum, ut te semper confiteamur & loquamur; nos totos, ut toti tui, non nostri simus: quò, cum adveneris in gloria, inter tuos nos confitearis coram Patre Tuo cœlesti & omnibus Angelis, glorificandus propterea à nobis jam linguis mortalibus, olim angelicis in omnem æternitatem.

S. D. G.









DISP  
L  
VIR  
STAT  
TIONE  
  
INLL  
BEN  
  
Vro  
DN. C  
  
PRO  
  
PU  
  
LUD  
Matth. C  
tu Conf

ad tempus  
6. scribit  
parifacos,  
Christus;  
ant eius  
q. 37.  
omino  
pove  
ritur, in  
re interna  
d. contra  
ellectum.  
za contis  
on modo  
lementa-  
militum  
Kstrum  
irabete,  
Stella.  
num 6  
nis, qui  
fignu  
alleg.  
p. 216.  
in aqua  
onarem  
Ca-  
is abdi-  
no ap-  
t. 2. 16.  
imur  
ite-  
Filia  
rum  
ac









the scale towards document

est, poterit cum restrictione mentali præ-  
quod de mandato Regis à similibus solet exi-  
tu ad intentionem exigentis: quia non tenetur  
lium. Formula censuræ præfationi inser-  
m sanctissimus D. N. re postea maturè confi-  
decrevit, pro nunc sequentes propositiones,  
sarum, sicuti jacent, ut minimum tanquam  
praxi perniciosas esse damnandas & probi-  
mnat ac prohibet.

ec adhibendæ 3. Conditiones, qua confessionem  
, ita ut de mente confitentis, quid tandem  
sentiat, constare nequeat. Quomodo  
sectu & modo Augustanæ Confessioni se sub-  
& Zanchius, quatenus piam agnoscat.

era Confessionis Christi qualitas est pruden-  
intelligimus eruditam illam, & multis lite-  
ua mirificè gloriabantur gentiles, ac Chri-  
is ac ignorantia, neglectæque latinitalis  
intelligimus simplicem quandam pruden-  
n indoctos & plebejos cadat. Non eam te  
(ita alicubi Tertullianus) qua scholis for-  
exercitata, in porticibus & Academiis At-  
tam eructas: te simplicem & rudem, & impo-  
compello. Apostolos videte, qui ἀρετὰ  
Act. IV, 13. & magni tamen οἰκονομοὶ cœ-  
um, I. Cor. IV. 1.

eam autem, quam diximus, prudentiam  
us fidei Christianæ, quam confitetur, di-  
habeat. Idem in omni confessione neces-  
saret. Nihil profectò inscitius fidei im-  
pli-

